

ut non Philosophiæ Maignanæ nomen Venerabile, & Sacrum maneat. Et hæc quidem obiter dicta sint de quinque istis Appendicibus, quas etsi Author fecerim, ut occasio tulit, publicasset, curavit tamen in unius voluminis molem compingi anno 1672.

Hoc eodem anno communi utilitati permissus prodit tomus Phil. Sacre secundus, cujus laudatissima eruditio commoustrat, quanto ad istam, ut par est, elucidandam subsidio sint probata, ac indubitata prænotiones alterius, scilicet Naturalis. Ac ne de cæteris in eo comprehensis materiis dicam aliquid, ad illam urgeor commemorandam, quæ de supernis Gratiæ Divinæ auxiliis pertractatur ita solide, & peracute, ut spem tandem dilatam proferat conciliandæ Sectæ Thomisticæ cum Molinisticæ; quo parato fœdere nihil optabilius esse potuit ad Humanæ mentis modò in hanc, modò in partem alteram fluctuantis, ac secum ipsa immanissime colluctantis tranquillitatem Theologicam comparandam. Moneo tamen parum ad id Tibi profuturam hanc doctrinam esse, si Tua tecum ad illam audiendam accesserint præiudicia; sed paululùm remiga contra flantem procellosum Africum inveterati Tui iudicii; sicque ad novum illud, quod spondeo, bonæ spei Promontorium tutus appelles.

Altero post anno, nec longa mora, iidem accuratissimi typi Lugdunenses Joannis Gregorii in aspectum secundo protulerunt cursum Maignani Philolophicæ recognitum & auctiorem non solum accessione sparsi ratiocinii, quo creberrime doctrinam suam firmavit: aut doctissimi Apologismi, quo adversus Joannem Guilhemiot & illam in multis defensatus est: aut triplicis optimè concinnati systematis Logici, Metaphysici, Phisici, &c. sed præsertim unius alteriusque opusculi, de quo si placet, pauca hæc subiiciam. Abibat tunc temporis Mundus pene totus post Cartesium, cujus etsi ingenium Maignanus magnificeret, non magnificiebat iudicium, quod vulgaverat de rebus Phisicis. Quare de primariis Cartesianis hypotesibus Vorticum tantopere celebratorum uno conatu convellendis cogitavit; ut iis ruentibus corrueret tota illa speciosa quidem, si ornatum cultumque externum spectes; sed parum solida tamen Cartesiani opificii Mundani moles.

Quem ausum, ut exitu felici commendaret, non attulit toto illo opere, nisi præsentissima argumenta ad Hominem, vel nisi urgentissima experimenta: ut illa in primis, quæ adducebat ex quodam globo à se excogitato vitreo-aqueo ingeniosissimum in modum referente Vorticem quemcumque Cartesianum. Erat globus ille sesquipedalis fere diametri, quem axe ad Horizontem recto tabulæ substratæ sic aptaverat, ut simul cum illa agitari facillime posset ope torni Horizontalis. Tum per supernum Globi illius officium demissis aut suspensis moleculis diversi generis, uti plum;